



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Omnia me[m]bra, & naturæ debitos humores resurge[n]tibus esse redde[n]da.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

926 Cap. LXIII. Monstra in celo nulla, in inferno multa futura.

in viridem iuuentam, non aliqua herbarum aut naturæ, sed Numinis potentia reddituros; ut proinde neque de annis nimis multis, aut nimis paucis conqueri possint; neque de corporis statura, aut ipsa etiam morte subeunda murmurare; cum non ignorent, se tanto fœnere atque lucro immutandos.

VIII.

1. Cor. 15. 51.
Gen. 3. 19.

Psalms Act. 1.

S. Thom. in
suppl. q. 78,
art. 2.

Deut. 32.
Aristot. lib 3.
de animal.
S. Thom. in
suppl. q. 80.
art. 3.

Quocirca membrorum quoque integritas & pulchritudo non deerit Sanctis; et si in damnatis probabiliter, seruata naturæ veritate & integritate, omnia deformia erunt, Apostolo dicente: *Omnis quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, per gloriam scilicet.* Ex quo, Adamo, & Euæ, & omnibus in peccato originali natis dictum est: *Puluis es, & in puluerem reverteris, omnes in cinerem soluimur.* Et si enim Christi resurrectio est exemplar nostræ resurrectionis, si terminum ad quem aspiciamus; non est tamen exemplar, secundum terminum a quo. Vnde, licet caro eius non viderit corruptionem, reliquorum tamen hominum (*nisi aliquibus ex speciali privilegio gratia, sit indulsum contrarium*, ait S. Thomas) corpora dissoluntur, ut possint reformari; atque in cinerem rediguntur, ut de novo integrantur. Nihil igitur refert, vnde restaurentur ex monstribus, aut alium defectum habentibus, aut etiam ex ipso puluere, ad quem redacta fuerunt; satis esse debet, si in resurrectione omnia accipiant, quæ ad eorum integritatem perfectionemque pertinuerunt. Omnia autem membra iusti accipient, quia Dei perfecta sunt opera, & inter opera Dei eminet resurrectio. Ad perfectionem autem hominis omnia membra pertinere, inde docetur, quia, iuxta Philosophum, *comparatio anima ad corpus est, sicut comparatio artis ad artificiatum: quidquid autem explicitè in artificiato ostenditur, ait S. Thomas, hoc totum implicitè, & originaliter in ipsa arte continetur: & similiter, quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter, & quodammodo implicitè in anima continetur.* Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiatus aliquid deesset eorum, quæ ars continet; ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum, quod in anima implicitè continetur, exterius in corpore explicaretur: nec etiam corpus anima ad plenum proportionaliter responderet. Hæc S. Thomas, qui ibidem addit, intestina quædam membra sanctorum nec vacua-

tore,

fore, neque immundicias contentura, sed nobilibus humoribus implenda. Quod in damnatis non fiet. Qui autem humores in resurgentibus sint extituri, ex eo pender decidere, quinam spectent ad naturae integratatem, de quibus idem Doctor, & schola Philosophorum.

Ibid. art. 3.

Quin & capilli, & vngues reddentur ijs, qui in hac vita calui fuerunt, aut matrum curiosarum vitio, vel sauitia ty- rannorum exungulati. Quia capilli quoque & vngues dati sunt in ornamentum hominis. Cum ergo corpora hominum, I. Ibid. art. 2.
principiæ electorum (ait idem Angelicus Doctor, quia non ita credibile est, damnados cum ornamenti suis ad identitatem & veritatem non necessarijs resurrecturos) debeant resurgere cum omni ornatu; consequens est, eos etiam cum capillis & vngibus resurrecturos. Adde quod capilli & vngues, licet ex abundantia cibi generentur, non solum ornatum habeant, in hac vita, sed etiam sua non careant utilitate; atque idcirco ad secundariam pertineant corporis perfectionem; sicut folia arborum, quibus fructus cooperiuntur, pertinent ad secundariam arborum perfectionem, & venustatem. Et quoniam tempe- ramentum magis ad naturam hominis pertinet, quam eadem mensura quantitatis, quæ saltem in infantibus non manebit, ex temperamento autem oritur color capillorum, conficitur tunc, capillos beatorum eodem colore fore conspicuos, qui hic 34. anno aut fuerunt, aut futuri fuissent, si vita esset eò usque porrecta.

Quoniam autem infantes, pueros, & Pygmæos in statu-
ra perfecta, ut & Gigantes ea magnitudine, qua ferè Christus
fuit, diximus resurrecturos; necesse est & Gigantibus aliquid
de materia demi, & infantibus ac Pumilis aliquid addi, quod
identitati ac veritati eiusdem hominis non officit; sicut neque
in ijs, qui ab alijs hominibus deuorati sunt; quorum proinde
caro à pluribus animabus fuit informata, & jam ad hunc, iam
ad illum hominem pertinebat. Nihil inquam, officit, quia, S. Thom. in
præter alias responsiones à S. Thoma assignatas; sufficit, tan-
tum materia tunc diuina virtute aliunde suppleri, quantum
opus est ad perfectionem quantitatis. Nec per hoc aliquid pra-
indicatur

IX.

X.

S. Thom. in
supl. q. 80.
ad 3.